

Alsdann wird zu der peinlichen Frage geschritten / wann  
redliche Anzeigungen wider einen seyn.

**S** Die Missethat einer Tod- Straffe halben kündlich / oder aber  
deshalben redliche Anzeigung / wie darvon vor berühret ist / erfunden  
wird / so soll es der peinlichen Frage / und aller Erkundigung  
halben / so zu Erfindung der Wahrheit dienstlich ist / auch mit Rechtferti-  
gung auf des Thäters Bekennen / gehalten werden / wie klärlich hernach  
von denjenigen / die Ankläger einbracht werden / geschrieben und geord-  
net ist.

## AD ARTIC. VIII.

## ARGUMENTUM.

*Quando de veritate delicti aliàs constat, vel constare potest, ad torturam  
procedere non oportet: deficientibus autem aliis probationibus, si reus factus  
est suspectus de tali delicto, quod capitis supplicium vel aliam corporis pœnam  
afflictivam meretur, & indicia ad torquendum sufficientia adsunt, tum ad tor-  
turam quidem deveniri potest, ita tamen, ut modus servetur, & postea ad  
subsecutam rei confessionem in condemnando juxta modum infra præscriptum  
procedatur.*

## EXEGESIS.

**I**N quo Articulo præcipuè duo veniunt consideranda: 1. *Quando ad  
torturam procedi possit?* scilicet si de delicto capitali, hoc est, tali,  
quod vel mortis, vel aliam corporis afflictivam pœnam meretur,  
notoriè constet, vel legitimis, certis, & indubitatis indiciis contra  
delinquentem illud fuerit probatum. Communiter tria requirunt  
ad hoc, ut Judex ad torturam possit procedere, (1) *Ut delictum sit  
atrox & capitale*, id est, propter illud delinquens criminaliter accusari,  
& puniri possit. *per l. 8. ff. de Question.* nam si delictum ita comparatum  
non fuerit, vel è circumstantiis & dictis testium appareat, non posse ad  
ordinariam vel pœnam corporis afflictivam perveniri; utiqve injustum  
est, ad torturam procedere, quòd hoc pacto medium investigandi deli-  
ctum posset ipsâ pœnâ durius vel gravius esse. (2) *Ut alie probationes de-  
sint, & aliter veritas erui nequeat, d. l. 8. ff. de Question.* Etenim si aliter ve-  
ritas haberi poterit, à tormentis non oportet incipere, *l. 1. pr. ff. de Quest.*  
Hinc est insignis regula probè notanda: *Judex dum demum ad torturam  
pervenire potest, quando nimirum de delinquentis commisso crimine certus est,*